



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

20. An Sacerdos qui accipit stipendium ab aliquo pro Missa applicanda, teneatur ei applicare fructum ex opere operantis, & rationes, aliaque quæ in Missa fiunt? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. res. 80. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

Atque SS. Eucharistiæ Sacram. Ref. XVIII. & c. 9

dicitur evidens, quando colligitur ex coniecturis, *l. licet Imperator, ff. de leg. 1. & leg. non ad ea de conditionibus & demonstrationibus. Abbas consil. 68. 2. part.* Tum quia testatoris voluntas coniecturata idem operatur quod expressa, *l. si servus plurium, §. fin. de legat. 1.* præsertim quando illam interpretatur coniecturis non captiosis. Comitulus. *Responsorum Moralium, lib. 7. quest. 1. 3. n. 4.* post Sylvestrum, Couarruuiam, & Navarrum, ibidem citatos. Tum quia pius est, voluntatem Testatoris piè interpretari, Comitulus, *responsorum moralium, lib. 7. q. 14. n. 9.* Tum quia illa interpretatio semper faciendâ est, quæ fauet animæ. Constant. Roger. *de iur. interp. vers. 8. Videamus, n. 2.* immò cum de favore animæ agitur, verba latè semper sunt accipiendâ, vt notat Bartolus in *Authent. Sacramentum puerum, Cod. Si aduer. vend. Galarat. renuntiat. 23. num. 4.* Tum denique, quia cum tractatur de commo- do, & vilitate animæ, recurrendum est ad verisimilem Testatoris voluntatem, quæ licet aperta non sit, est tamen omninò seruandâ, *l. cum res in princ. ff. de leg. 1. Sicut ceteri, Cod. de testam. Mantica de coniect. vlt. volum. lib. 3. tit. 19. n. 1. & 2.* Vbi probat in testamento, si quid dubium, vel ambiguum scriptum sit, illud benignè interpretandum, & seruandum id, quod credibile esse cogitatum: *l. cum in testamento, ff. de vetus. dub. Baldus in lege fin. in vlt. nor. C. de hered. inst.*

5. Vnde ex his dicendum est, & sequitur contra Marchinum, Sacerdotem obtinentem Capellaniam, de cuius fundatione nullo modo constat, sed illud tantum certum est teneri ad celebrandum quotidie in tali Ecclesiâ, vel in tali Altari cum stipendio conuenienti, sequitur inquam ex dictis, supra dictum Sacerdotem teneri applicate valore Missarum pro Fundatore Capellanie. Et ita hanc sententiam ex omnibus superius adductis tenet Barola, *consil. 1. 4. per totum. Vide etiam Syluium in Resol. Var. tom. 2. verb. Missa 4. in Respons. ad 1.*

RESOL. XVIII.

Quando stipendium Missæ fuerit ab Episcopo taxatum vel à consuetudine, si petens Missam non det stipendium integrum & iustum, an potuerit Sacerdos ab uno, vel à diuersis tot parua huiusmodi stipendia accipere, quæ insie elemosyna æquivalent, & vnum tantum pro omnibus illis Missæ Sacrificium offerre? Et quid, quando adsit expressa promissio de dicenda Missa pro illo paruo stipendio? Ex p. 2. tr. 14. Ref. 7.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam Rodriquez in *Sum. tom. 4. c. 52. n. 4. Corduba lib. 1. q. 4. dub. 4. Angles in Flor. part. 1. q. de valore Missæ, art. 2. concl. 2. appen. 2. Nugus in 3. p. tom. 1. q. 83. art. 1. dub. 9. concl. 2. Fernandez in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 5. §. 9. n. 3. Valquez in 3. p. tom. 3. disp. 234. cap. 3. num. 18. Fillucius tom. 1. tract. 5. c. 6. n. 188. Scorzia de sacrif. Missæ lib. 2. c. 10. n. 4. Fraxinellus, & Suarez vbi infra.* Et ratio est, quia iniusta est eius postulatio, qui pro tenui stipendio totum peteret sacerdotis obsequium, & cum ipsi sacerdoti manifesta iniuria fiat, meritò potest se indemnem seruare.

2. Verum est, quòd Corduba, Homobonus de Bonis in *exam. eccles. part. 1. tract. 4. c. 13. quest. 118. & Fraxinellus de oblig. sacerdot. scilicet 4. concl. 2. §. 2. n. 1.* limitant hanc sententiam, & dicunt, non procedere, quando adsit expressa promissio, de dicenda Missa pro illo paruo stipendio, alioquin virtus fidelitatis violaretur.

3. Sed hæc limitatio, vt bene obseruat Suarez in

3. part. tom. 3. disp. 86. sect. 4. stando in rigore iustitiæ, non videtur necessaria, quia tali sacerdoti fit iniuria. Cogitur enim ob paupertatem inæquale stipendium acceptare. Potest ergo, non obstante priori pacto, se indemnem seruare, sicut famulus, aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, potest damnus suum resarcire, etiam si in principio ob paupertatem coactus sit pacisci pro iniusto, & inæquali stipendio, & similiter, qui ob necessitatem cogitur triticum emere iniusto pretio, potest sine iniustitia, alia via, se indemnem seruare. Ita Suarez, & post illum noster Molfesius tom. 1. tract. 3. cap. 17. n. 89. qui citat Reginaldum, & Mirandam. Ita vsque modo in hoc casu probabiliter quis consulere poterat.

4. Sed nunc contrariam opinionem docent Illustrissimi Cardinales in decreto, §. 3. & antea docuerunt multi DD. quos citat, & sequitur Bonacina de Sacram. disp. 4. q. vlt. punct. 7. §. 2. n. 8. licet pro sua opinione adducat aliquos auctores, potius contrariam sententiam docentes.

RESOL. XIX.

An quando stipendium Missæ est aliquo in loco taxatum, & Sacerdos, qui nihil habet, vnde viuat, possit deinde ad iusti stipendij rationem Missas applicare? Ex p. 5. tr. 13. & Miscell. 1. Ref. 52.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Peyrinus de *princ. tom. 3. c. 1. n. 26.* per ea, quæ ego ipse adduxi in *1. p. tract. 14. resol. 7.* Neque, ait ille, huic opinioni videtur obstare decretum sacre Congregationis de celebratione Missarum, §. 2. vbi Congregatio sub obtestatione diuini iudicij mandat, vt tot Missæ dicantur, quot fuerunt præscriptæ, quamuis recepta stipendia sint exigua, & incongrua. Nam debet intelligi, quando Sacerdos omninò voluntariè, non coactus paupertate, contentus fuit oblato stipendio, & expressè promisit se tot Missas integras dicturum; quo modo etiam limitauit Suarez, & tunc tenebitur magis ratione fidelitatis, & præcepti, quam iustitiæ. Ita Peyrinus.

Quæ hic est Ref. antecessens, & infra lege doctrinâ Ref. 1. post seq. & supra ex Ref. 14. vnde §. Nec obstat secundo, & §. seq. ad medium, à veris. Ideo etiam.

2. Sed contrariam sententiam ego docui vbi supra nam dictum decretum absolute loquitur, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; & verba decreti sunt ita clara, vt aliquam expositionem minimè admittant, & ita etiam sentiunt docti recentiores à me consulti.

RESOL. XX.

An Sacerdos, qui accipit stipendium ab aliquo pro Missa applicanda, teneatur ei applicare fructum ex opere operantis, & orationes, aliæque, quæ in Missa fiunt? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 80.

§. 1. **R**equens & curiosus est casus, fortasè amice Lector non aliam, quam affirmatiuam sententiam expectabis. Sed negatiua opinio habetur in thesibus Theol. Collegij Romani Societ. I E S V lib. 8. n. 173. & illam docet Coninck de Sacram. q. 83. art. 1. dub. 10. n. 195. & post illum doctus Hurtadus de Sacram. disp. 3. de sacrificio Missæ, diffio. 8. in fine, vbi sic ait; Obseruandum est celebrantem non teneri ad applicandum Sacrificium, nisi quoad fructum ex opere operato pro eo, à quo stipendium accipit, non verò quoad fructum ex opere operantis, nec alius exigitur nisi prior ille, alias Sacerdos non satisfac-

ret,

ret, quando ex malo fine celebrat. Ob eandemque rationem credimus non esse obligationem offerendi pro illo Orationes, aliaque quae in Missa fiunt. Hæc ille quæ etiam docuit magis clarè in *disp. 4. diff. 1. 5.* Sed aliqui hanc opinionem non admittunt; nam si talis opinio esset vera, frustra dantes stipendium pro Missis studium adhiberent ad inveniendos Sacerdotes optimæ vitæ ad illas dicendas, quod quidem consulunt Doctores communitè esse faciendum, ut patet apud Fagundez *pr. 1. lib. 3. c. 6. n. 22.* Nam obstantè supradicta Hurtadi opinione, cum celebrans Missam pro stipendio non teneatur applicare fructum ex opere operantis, neque orationes, aliaque Missæ actiones idem esset pro stipendio dantibus celebrare ad eorum intentionem tam malos, quam bonos Sacerdotes. Sed hoc videtur absurdum, & contra praxim Ergo, &c. Ideo tu cogita.

RESOL. XXI.

An Sacerdos recipiens exiguum stipendium ab aliquo pro Missa dicenda, teneatur totum fructum ei applicare stantibus Decretis Urbani VIII.?

Et an pecunia relicta Monasterio cum onere perpetuo celebrandi Missas, implicari possit super bona Monasterij ipsius, assignando talem fundum, quod substat illi oneri, aut faciendo fabricam necessariam? Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Ref. 7 i.

Sup hoc lege supra doctrinâ Ref. 18. & 19. & aliorum §§. eorum notationum.

§. 1. **N**egativam sententiam nominatim contra me docet Pater Tamburinus *opusc. de Sacram. Missæ. l. 3. n. 53.* & idè asserit; Sacerdotem, recipientem exiguum stipem pro Missa, non teneri totum fructum offerenti applicare, nec; si id faciat, teneri ad restitutionem quia non est credibile; voluisse facram Cõgregationem fraudare Sacerdotes iusta mercede: Quando verò præcipit, ut stipendia, quantumvis incongrua, & exigua etiam data ab vna persona Missa præscriptæ celebrentur, præcipit quidem, ut celebrentur Missæ ad elemosynam præscriptam, sed iuxta tamen, seu rationem dictæ elemosynæ, non verò ad merum arbitrium dantis.

2. Verùm ego non recedo à sententiâ, quam docui, quidquid asserat P. Tamburinus, & præter Cardinalem de Lugo, Auerlam, & alios, illam novissimè, me citato teneri Trullench. *de Sacram. lib. 3. c. 8. dub. 11. n. 8.* & me citato Bassæus in *Flor. v. Missæ. 3. n. 10.* & me citato P. Franciscus Lugo *de Sacram. l. 5. cap. 12. §. 5. n. 44. 46. & 57.* in quibus asserit, stantibus apertis verbis decreti Pontificij, hanc omninò sententiam in praxi tenendam, & præter alias rationes, quas penes ipsum videbis, sic argumentatur, vel Sacerdos reperit alium, qui maius stipendium offerat pro Missa, vel nullum. Si reperit, cur non maius recipit, dimittens stipendia tenuiora? si non reperit, non debet iniustum reputare, quod ob raritatem offerentium stipes, & copiam Sacerdotum acceptantium, vel etiam quæritantium ita decrevit, ut debeat hic & nunc iustum existimari. Quod, si quando stipendia, præsertim antiqua mutatione temporum reddita sint iniusta simpliciter, recurrendum erit ad legitimum superiorem, ut Missæ reducantur ad numerum minorem. In aliquibus tamen casibus puto, admitti posse opinionem, quam contra me teneri P. Tamburinus, quando v. gr. Sacerdos id dantibus stipendia significat, vel illos monet de taxa iustæ mercedis, & sic ex ipsorum consensu Missas ad rationem talis taxæ reducit. Vel quando multi simul stipes alicui tribuunt, vel pro cunctis iuxta quantitatem ipsarum sacra faciat, vel in simili casibus, nulla fit iniuriâ dantibus stipendia, si

Sacerdos pro singulis Missis taxatam stipem recipiat. Ita Coninc. *q. 82. n. 194.* nec alij dissentient. Similiter, si Sacerdos rogatus dicere decem Missas, v. g. recipit iniolutam charta pecuniam, putans esse iustum stipendium, & postea reperit esse dimidiatû, iuste poterit ad ratam minuere numerum Missarum, illo monito, qui petiit Missas, vel etiam non monito, quoties ex iusta causâ non potest. Vnde hæc omnia non esse contra decreta Cardinaliû, quæ planè non loquuntur in his casibus, docet & merito P. Lugo *ubi sup. n. 51.*

3. Sed hic obiter quæro, An pecunia relicta Monasterio cum onere perpetuo celebrandi Missam, implicari possit super bona ipsius Monasterij, aut simili onere, assignando talem fundum Monasterij, quod substat illi oneri, aut faciendo fabricam necessariam. Et affirmatiuam sententiam tenet Laurentius de Peyrinia in *formul. lit. 2. c. 11. n. 2.* Sed ego prolixè contrariæ sententiæ adhaereo, tum ex natura implicationis, quæ importat acquisitionem novorum fructuum ex re frugifera ab alio empta, quæ alias non erit propria emptoris, aut saltem fiat propria ratione fructuum, siquidem implicatio auget novos fructus implicanti, quos antea non percipiebat: aliqui quærit effectum contrarium, nempe onus abique novo commodo; Tum ex ipsis decretis de celebr. Missæ, §. præterea: ubi decernitur, pecuniam datam pro oneribus Missarum, inuestiendam esse in bonis immobilibus frugiferis, quod non euenit nisi ex implicatione acquiratur ius lucrandi novos fructus. Et ita hanc sententiam ex Bordonò teneri Pellizzarius in *Summa tom. 2. tr. 6. c. 3. n. 60.* cui ego addo Lezanam in *Summa Quæst. Regul. tom. 4. ver. Missa n. 3.* & Tamburinus *opusc. de Sacram. Missæ. lib. 3. cap. 1. §. 6. n. 9.*

RESOL. XXII.

De taxa Missarum. Pro quo discutitur, an Sacerdos pauper quando singulis diebus celebrat, possit à quibuscumque Missis offerentibus elemosynas, aut stipendia accipere etiam super taxam determinatam ab Episcopo, ut habeat pro victu moderato, veste decenti, &c.? Ex p. 11. tr. 1. & Misc. 1. Ref. 14.

§. 1. **I**oannes Caramuel *fundament. §. 9. §. 2. n. 121.* sic asserit, videtur aliquibus locis Diana summa in consequentia laborare. Ego hoc dubium propono. Sunt qui dicant Sacerdotem pauperem, modò singulis diebus celebret, posse à quibuscumque Missis offerentibus, elemosynas, aut stipendia accipere, etiam supra taxam determinatam ab Episcopo, ut habeat pro victu moderato, veste decenti, & domo congrua pro emendis libris, conuenientibus professioni suæ, videlicet spiritualibus, moralibus, canonicis, Theologicis, quod ipsum nonnulli ad alios eorum causas extendunt. Vide Dianam *part. 2. tr. 14. res. 8.*

2. Sunt qui dicant Notarios, Commissarios, & ceteros iustitiæ ministros, si stipendia ipsi à lege statuta non sufficiant ad honestè viuendum posse supra taxam accipere quantum modestia, & prudentia requirit. Vide Dianam *part. 2. tr. 17. res. 60.*

3. At Diana ex his duabus sententiis priorem negat, posteriorem admittit, cum tamen videatur consequentia doctrinæ postulare, ut admittatur utraque, vel rejiciatur utraque; nam disparitatem non percipio. Hucusque Caramuel.

4. Sed puto, Dianam rectè priorem sententiam negare & admittere secundam, non enim est par ratio inter utramque.

5. Et quoad primam patet ex aperta & rotunda declaratione Cardinalium, Vnde ad demonstrandam etiam